

Quatuor
instrumen-
ta methodi
inventio-
nis.

universalia tanquã suprema. Cæterùm illa inductio præsupponit tria, nimirum sensum, observationem & experiëntiã. Quare si ita placet, dicas methodum inventionis adhibere quatuor instrumenta, è quibus primum est simplex, videl. αἰσθησις, reliqua tria sunt composita, videlicet observatio, experiëntia & inductio. Sensus, philosopho αἰσθησις, licet ratione sit imperfectior; tamẽ eã est prior, quoad eum cognoscendi ordinem, qui homini accommodatus est, ut meritò philosophi approbent illud acroama: *Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Et verò est omninò magna certitudo notitię sensualis, ita ut quidquid homo sensu bene affecto & incorrupto percipiat, id ratũ & firmũ habere possit, ut philosophus præclare testatur 3. de gen. anim. c. 10. ἢ αἰσθησις, inquit, δυνάμει ἔχει ἐπισήμης; *sensus habet vim scientiæ*, hoc est, adminiculo sensuum certam rerum externarum notitiam humana mens percipere potest, si convenienti ordine ascendat à sensibus ad rationem. Inter sensus autẽ præcipui sunt visus & auditus; quibus tanquam exquisitissimis homo rerum variarum & excellentium in naturã differentias percipit. Observatio est quædam sensualis notitiæ collectio, quam philosophus vocat ἰσοεῖα. Nec enim satis est nos videre aut audire, nisi observemus, hoc est, mente retineamus, quæ semel atque iterum vidimus, audivimus, aut aliis sensibus hausimus. Quæ quidem observatio, cum magnum sit sciendi adminiculum, ἰσοεῖα vocatur 2. post. cap. ultim. & inter philosophiæ insignia & luminosa principia reponitur. Experiëntia est plurium observationum collectio, & ad certum usum applicatio. Huic tantum tribuit philosophus 1. Metaph. cap. 1. ut dicat expertos majus aliquid & amplius in disciplinã consequi, quàm eos, qui præcepta sine experiëntiã sectantur. Hæc Græcis dicitur ἐμπειρία. Hæc de re præclara est sententia Rami lib. 7. schol. dial. c. 14. *Utinam literis aureis, ait, atq; amplis & illustribus, professoribus scholarum omnium, vel potius firmã & stabili intelligentiã memoriaq; in mentibus magistrorum, duo ista verba scripta essent, ΕΜΠΕΙΡΙΑ, ΙΣΤΟΡΙΑ; ut quoties ea legerent & meminissent, omniũ verorũ dogmatũ causam atq; originẽ legerent & meminissent; quæ præcepti originem veram demonstrarent, quæ præcepti usum certum declarent.* Et ibidem

Ramus